



UNIVERSITY OF  
CAMBRIDGE

CLASSICAL TRIPOS Part IA

---

Thursday 7 June 2007 9 to 12

---

Paper 4

ALTERNATIVE PASSAGES FOR TRANSLATION FROM LATIN  
AUTHORS

*Answer all questions.*

**Sections A and B carry equal weight.**

**It is important to write good English.**

*Answers from each Section must be written in a separate booklet.*

*Write your **number** (not your name) on the cover-sheet of each  
Section booklet.*

**Candidates who do not write legibly may find themselves at a grave  
disadvantage.**

STATIONERY REQUIREMENTS

20 Page Booklets x 2

Rough Work Pad x 1

Tags

SPECIAL REQUIREMENTS

None

**You may not start to read the questions  
printed on the subsequent pages of this  
question paper until instructed that you  
may do so by the Invigilator**

## SECTION A

*Translate into English:*

**A1** quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu ut umquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditare? tu ut ullum exsilium cogites? utinam tibi istam mentem di immortales duint! tametsi uideo, si mea uoce perterritus ire in exsilium animum induxeris, quanta tempestas inuidiae nobis, si minus in praesens tempus, recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendat. sed est tanti, dum modo ista sit priuata calamitas et a rei publicae periculis seiungatur. sed tu ut uitiiis tuis commoueare, ut legum poenas pertimescas, ut temporibus rei publicae cedas, non est postulandum. neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor umquam a turpitudine aut metus a periculo aut ratio a furore reuocauerit. quam ob rem, ut saepe iam dixi, proficiscere ac, si mihi inimico, ut praedicas, tuo conflare uis inuidiam, recta perge in exsilium.

CICERO *In Catilinam* I 22–3

**A2** ipse miser uidi, cum me dormire putares,  
 sobrius apposito crimina uestra mero.  
 multa supercilio uidi uibrante loquentes;  
 nutibus in uestris pars bona uocis erat.  
 non oculi tacuere tui conscriptaque uino  
 mensa, nec in digitis littera nulla fuit.  
 sermonem agnouit quod non uideatur agentem  
 uerbaque pro certis iussa ualere notis.  
 iamque frequens ierat mensa conuiuia relictā;  
 compositi iuuenes unus et alter erant;  
 improba tum uero iungentes oscula uidi  
 (illa mihi lingua nexa fuisse liquet),  
 qualia non fratri tulerit germana seuro  
 sed tulerit cupido mollis amica uiro,  
 qualia credibile est non Phoebō ferre Dianam,  
 sed Venerem Marti saepe tulisse suo.  
 'quid facis?' exclamo. 'quo nunc mea gaudia defers?  
 inuicem dominas in mea iura manus.  
 haec tibi sunt mecum, mihi sunt communia tecum:  
 in bona cur quisquam tertius ista uenit?'

OVID *Amores* II 5 13–32

**A3** ceterum plena Caesarum domus, iuuenis filius, nepotes adulti moram cupitis adferebant; et quia ui tot simul corripere intutum, dolus interualla scelerum poscebat. placuit tamen occultior uia et a Druso incipere, in quem recenti ira ferebatur. (nam Drusus impatiens aemuli et animo commotior orto forte iurgio intenderat Seiano manus et contra tendentis os uerberauerat.) igitur cuncta temptanti promptissimum uisum ad uxorem eius Liuiam conuertere, quae soror Germanici, formae initio aetatis indecorae, mox pulchritudine praecellebat. hanc, ut amore incensus, adulterio pellexit et, postquam primi flagitii potitus est (neque femina amissa pudicitia alia abnuerit), ad coniugii spem, consortium regni et necem mariti impulit. atque illa, cui auunculus Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi, seque ac maiores et posteros municipali adultero foedabat, ut pro honestis et praesentibus flagitiosa et incerta expectaret. sumitur in conscientiam Eudemus, amicus ac medicus Liuiae, specie artis frequens secretis.

TACITUS *Annals* IV 3

## SECTION B

*Translate into English:*

**B1** *On the first day of his consulship Cicero rises to oppose an agrarian law proposed by a tribune of the plebs which would have established a commission of ten with wide powers.*

atque ego a primo capite legis usque ad extremum reperio, Quirites, nihil aliud cogitatum, nihil aliud susceptum, nihil aliud actum nisi uti decem reges aerari, uectigalium, prouinciarum omnium, totius rei publicae, regnorum, liberorum populorum, orbis denique terrarum domini constituerentur legis agrariae simulatione atque nomine. sic confirmo, Quirites, hac lege agraria pulchra atque populari dari uobis nihil, condonari certis hominibus omnia, ostentari populo Romano agros, eripi etiam libertatem, priuatorum pecunias augeri, publicas exhauriri, denique, quod est indignissimum, per tribunum plebis, quem maiores praesidem libertatis custodemque esse uoluerunt, reges in ciuitate constitui. quae cum, Quirites, exposuero, si falsa uobis uidebuntur esse, sequar auctoritatem uestram, mutabo meam sententiam; sin insidias fieri libertati uestrae simulatione largitionis intelletis, nolitote dubitare plurimo sudore et sanguine maiorum uestrorum partam uobisque traditam libertatem nullo uestro labore consule adiutore defendere.

CICERO, *De Lege Agraria* II 15–6

*aerari*: aerarium, -i the public treasury

[TURN OVER



at Venus haud animo nequiquam exterrita mater  
 Laurentumque minis et duro mota tumultu  
 Volcanum adloquitur, thalamoque haec coniugis aureo  
 incipit et dictis diuinum aspirat amorem:  
 'dum bello Argolici uastabant Pergama reges  
 debita casurasque inimicis ignibus arces,  
 non ullum auxilium miseris, non arma rogau  
 artis opisque tuae, nec te, carissime coniunx,  
 incassumue tuos uolui exercere labores,  
 quamuis et Priami deberem plurima natis,  
 et durum Aeneae fleuissem saepe laborem.  
 nunc Iouis imperiis Rutulorum constitit oris:  
 ergo eadem supplex uenio et sanctum mihi numen  
 arma rogo, genetrix nato. te filia Nerei,  
 te potuit lacrimis Tithonia flectere coniunx.  
 aspice qui coeant populi, quae moenia clausis  
 ferrum acuant portis in me excidiumque meorum.'  
 dixerat et niueis hinc atque hinc diua lacertis  
 cunctantem amplexu molli fouet. ille repente  
 accepit solitam flammam, notusque medullas  
 intrauit calor et labefacta per ossa cucurrit,  
 non secus atque olim tonitru cum rupta corusco  
 ignea rima micans percurrit lumine nimbos;  
 sensit laeta dolis et formae conscia coniunx.

VIRGIL, *Aeneid* VIII 370–386

*Laurentum*: Laurentes, -ntum: 'the Romans'

*haud*: take with *nequiquam* ('without cause')

*Pergama*: Pergama, -orum: n. pl.: (the citadel of) Troy

*debita*: 'doomed'

*incassum*: adv.: 'to no purpose'

*Rutulorum*: Rutuli, -orum: 'the Rutulians' (an ancient people of Latium)

*filia Nerei ... Tithonia coniunx*: both Thetis (mother of Achilles) and Aurora (mother of Memnon) had obtained weapons for their sons from Hephaestus (Vulcan)

*secus atque*: adv.: otherwise (than)

*rima*: rima, -ae: a crack, fissure, here applied to lightning

END OF PAPER